

egerunt poenitentiam in parte Donati, poenituit illos quod bene fecerant : modo agant, ut poeniteat illos quod male fecerunt. Timetis, quod perfidi inventi sunt, ne sanctum conculcent? Ecce et huic timori vestro consulitur, in poenitentiam admittuntur. Erunt in poenitentia, quando voluerint reconciliari, jam nemine cogente, nemine terrente : quoniam poenitens Catholicus jam legum comminationes non patitur ; coepit velle reconciliari dum nemo terreret, vel tunc credatur voluntati. Puta quia coactus est esse Catholicus, erit poenitens. Quis illum cogit petere reconciliationis locum, nisi voluntas propria? Modo ergo admittamus infirmitatem, ut postea probemus voluntatem.

SERMO CCXCVII¹.

In Natali Apostolorum Petri et Pauli, III.

I. HODIERNUM nobis diem festum fecit sanguis Apostolorum. Hoc reddiderunt servi, quod pro eis impensum est sanguine Domini. Beatus Petrus, sicut modo audivimus, sequi iubetur : et tamen praecedere meditabatur, quando dixit Domino : « Animam meam pro te ponam². » Praesumptionem ferebat, timorem suum nesciebat. Praeire volebat, quem sequi debebat. Bonum cupiebat, sed ordinem non tenebat. Quam esset amara mors, amaro timore sensit, et peccatum amari timoris amaris lacrymis lavit. Timor interrogatus est ab ancilla, amor a Domino. Et quid res-

¹ Alias de Diversis 107. — ² Joan. XIII, 37. — Cod. Cass. VII, fol. 315. *Animam meam pro te ponam.* Praesumptione fervebat.

pondit timor, nisi humanam trepidationem? quid respondit amor, nisi divinam professionem? Amare enim Deum, donum Dei est. Quando de amore Dominus Petrum interrogabat, quod dederat exigebat.

II. Quid tamen Dominus Petro praenuntiavit, unde est festus hic dies? « Cum esses junior, inquit, praecinge- » bas te, et ibas quo velles : cum autem senueris, alter te » cinget, et feret quo tu non vis¹. » Ubi est, « Tecum » ero usque ad mortem? » Ubi est, « Animam meam pro » te ponam? Ecce formidabis, ecce negabis, ecce plorabis ; et pro quomori timuisti, resurget, et firmaberis. Quid enim mirum, quia timuit Petrus, antequam resurgeret Christus? Ecce jam resurrexit Christus, jam apparet veritas animae et carnis, jam quod est in promisso, firmatur exemplo. Videtur Dominus vivus post crucem, post mortem, post sepulcrum. Parum est quod videtur : tangitur, contrectatur, probatur. Fecit cum discipulis quadraginta dies, intrans et exiens, manducans et bibens, non egestate, sed potestate ; non necessitate, sed charitate : manducans et bibens, non esuriendo, nec sitiendo, sed docendo et monstrando. Probatus verus et verax, ascendit in coelum, mittit Spiritum sanctum, implet credentes et orantes, mittit praedicantes. Et tamen post haec omnia, Petrum alius praecingit, et fert quo ipse non vult. Quod volebas quando Dominus praedicebat, tunc velles quando sequi debebas.

III. Alter te cingit, et fert quo tu non vis. Consolatur Dominus de hoc, transfigurans in se infirmitatem nostram, et dicens : « Tristis est anima mea usque ad mortem¹. » Inde Martyres magni, quia dulcedinem hujus mundi calcaverunt : inde Martyres magni, quia amaræ

¹ Joan. XXI, 18. — ² Cod. Cass. VII, fol. 315. Nolebat mori ; alter eum cinxit, et abstulit quo ipse nollet. — ³ Matth. XXVI, 38.

mortis asperitatem durissimam pertulerunt. Nam si facile est mortem ferre, quid magnum Martyres pro Domini morte pertulerunt? Unde magni, unde excelsi, unde cæteris hominibus multo florentius coronati? Unde, quod norunt fideles, distincti a defunctis loco suo Martyres recitantur, nec pro eis oratur, sed eorum orationibus Ecclesia commendatur? Unde hoc, nisi quia mors, quam pro Dominica confessione elegerunt suscipere, quam Christum negare, utique amara est? Uti que natura refugit mortem. Intuere omne animalium genus, nullum invenies quod nolit vivere, quod non timeat interire. Habet istum sensum genus humanum. Dura est mors: sed non, inquam, quia mors est dura, ideo neganda est vita. Petrus etiam senex nolebat mori. Mori quidem nolebat, sed Christum sequi malebat. Malebat Christum sequi, quam non mori. Si via lata esset, qua sine morte Christum sequeretur, quis dubitet quod hanc arriperet, hanc eligeret? Sed non erat qua sequi Christum quo ire volebat, nisi per viam quam pati nolebat. Denique per illam mortis asperitatem arietibus transeuntibus secutæ sunt oves. Arietes ovium sancti Apostoli. Aspera via mortis, spinis plena: sed istæ spinæ Petra et Petro transeunte, petreis pedibus tritæ sunt.

IV. Non reprehendimus, non accusamus, etiam si vita ista ametur. Sic tamen vita ista ametur, ne in ejus amore peccetur. Ametur vita, sed eligatur vita. Interrogo amatores vitæ, et dico: « Quis est homo qui vult vitam? » Etiam taciti omnes respondetis: Quis est homo, qui non vult vitam? Addo quod Psalmus addidit: « Quis est » homo, qui vult vitam, et diligit videre dies bonos¹? » Respondetur: Quis enim homo est, qui non vult vitam, et qui non diligit videre dies bonos? Si ergo vis ad vitam

¹ Psal. xxxiii, 13.

venire, et dies bonos videre, quia ista merces est, opus hujus mercedis attende: « Contine linguam tuam a malo. » Hoc in Psalmo sequitur. « Quis est homo, qui vult vitam, » et amat videre dies bonos? » Adjungit: « Contine » linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum: » Declina a malo, et fac bonum¹. » Modo dic: Volo. Interrogabam: Vis videre vitam? Respondebas: Volo. Interrogabam: Vis dies bonos? Respondebas: Volo. « Cohibe » linguam tuam a malo. » Modo dic: Volo. « Declina a » malo, et fac bonum. » Dic: Volo. Si autem hoc vis; quære opus, et ad mercedem curris².

V. Attende apostolum Paulum, quoniam et ipsius hodie dies festus est. Concordem vitam ambo duxerunt, socium sanguinem ambo fuderunt, coelestem coronam ambo sumpserunt, diem hodiernum ambo consecraverunt. Attende ergo apostolum Paulum, recole verba quæ paulo ante, cum ejus Epistola legeretur, audivimus. « Ego, inquit, jam immolor, et tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen » certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De cætero, » inquit, superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi » Dominus in illa die justus Judex³. » Non enim negabit debitum, qui donavit indebitum. Justus Judex reddet coronam, reddet: habet enim cui reddat. « Bonum certamen » certavi, cursum consummavi, fidem servavi: » coronam his meritis reddet; nec negabit debitum, sicut dixi, qui donavit indebitum. Quid est quod donavit indebitum? « Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus⁴. » Quid ergo donavit indebitum? Ipsum audiamus confiten-

¹ Psal. xxxiii, 14, 15. — ² Cod. Cass. vii, fol. 315. Respondebis, Volo. « Cohibe linguam tuam a malo. » Modo dic: Volo. « Labia tua non loquantur » dolum. » Modo dic: Volo. « Declina a malo, et fac bonum. » Dic, Volo. Si hoc non vis, quære quid velis? opus prætermittis. — ³ 2 Tim. iv, 6-8. —

⁴ 1 Tim. i, 23.

tem, et donatorem gratiæ de vita¹ sua confessione laudantem. « Prius, inquit, fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus. » Debeatur tibi ergo ut esses Apostolus? Quid debeatur blasphemo et persecutori et injurioso? quid, nisi æterna damnatio? et pro æterna damnatione quid accepit? « Misericordiam consecutus sum, » quia ignorans feci in incredulitate. » Hæc est misericordia, quam Deus donavit indebitam. Audi aliud eodem ipso dicente alio loco: « Non sum, inquit, dignus vocari » Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei². » Video ergo, Apostole, quod non eras dignus. Unde hoc tibi, ut dignus esses? Quare ergo es quod dignus non es? Audi: « Sed gratia Dei consecutus sum quod sum. » Pœnā meā fui quod fui: gratia Dei sum quod sum. « Gratia, inquit, » Dei sum id quod sum; et gratia ejus in me vacua non » fuit; sed plus omnibus illis laboravi³. » Rependisti ergo gratiæ Dei? Accepisti, et reddidisti? Attende quid dixisti. Attendo, inquit. « Non ego autem, sed gratia Dei » mecum. » Ergo huic laborioso Apostolo bonum agonem certanti, cursum consummanti, fidem servanti, negabit justus Deus coronam debitam, cui gratiam donavit indebitam?

VI. Cui autem reddet coronam debitam, o Paule parve, magne, cui reddet? Utiq̄ue meritis tuis. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti; reddet coronam debitam his meritis tuis. Sed ut reddatur tibi corona tua, Dei dona sunt merita tua. Ecce bonum agonem certasti, cursum consummasti. Vidisti enim aliam legem in membris tuis, repugnantem legi mentis tuæ, et captivum te ducentem in lege peccati, quæ est in mem-

¹ Forte debita. — ² 1 Cor. xv, 9. — ³ Ibid. 10. — Cod. Cass. vii, fol. 315. Illis laboravi. Quasi reprodit gratiæ. « Gratia, inquit, Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non sint. Sed plus omnibus istis laboravi. »

bris tuis: unde tibi vincere, nisi ex hoc quod sequitur? » Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis » hujus? Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum⁴. » Ecce unde pugnasti, ecce unde laborasti, ecce unde non defecisti, ecce unde vicisti. Videte pugnantem: » Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an » angustia? an fames? an persecutio? an nuditas? an gladius²? Sicut scriptum est: Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus ut oves occisionis³. » Ecce infirmitas, labor, miseria, pericula, tentationes. Unde victoria certantium? Audi quod sequitur: « Sed in » his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. » Cursum consummasti: quo ducente, quo regente, quo juvante? Quid hic dicis? « Cursum, inquit, consummavi; » sed « Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei⁴. » Fidem servasti, verum est. Primo quam fidem? quam tibi ipse dedisti⁵? Falsum est quod dixisti: « Sicut unicuique Deus partitus est mensuram » fidei⁶? » Nonne tu alloqueris quosdam concertatores tuos, et in hujus vitæ stadio tecum laborantes atque currentes, quibus dicis. » Vobis enim donatum est pro Christo? » Quid donatum est? « Non solum ut credatis in eum, sed » etiam ut patiamini pro eo⁷. » Ecce utrumque donatum est, et credere, et pati pro Christo.

VII. Sed ait forte aliquis: Accepi quidem fidem, sed ego custodivi. Tu forte hoc dicis, quisquis hæc audis insipiens: Accepi fidem, sed ego custodivi: Paulus noster non hoc dicit: Ego custodivi. Respicit enim: « Nisi Dominus minus custodierit civitatem, in vanum laboravit qui cus-

¹ Rom. vii, 24, 25. — ² Rom. viii, 35-37. — ³ Psal. xliii, 22. — ⁴ Rom. ix, 16. — ⁵ Cod. Cass. vii, fol. 315. Ipsi dedisti? Si si lem tu tibi dedisti, passum est, etc. — ⁶ Rom. xii, 3. — ⁷ Philip. i, 29.

» todit eam¹. » Labora, custodi: sed bonum est ut custodiaris. Nam custodire te non sufficis. Si desertus fueris, dormitabis et dormies. « Non autem dormitat, neque » dormit, qui custodit Israël². »

VIII. Vitam ergo amamus, et amare nos vitam nullo modo dubitamus: neque omnino negare poterimus, amare nos vitam. Ergo eligamus vitam, si amamus vitam. Quid eligimus? Vitam. Primo hic bonam; post hanc, æternam. Primo hic bonam, sed nondum beatam. Bona modo agatur, cui postea beata servatur. Bona vita, opus est: beata, merces est. Age bonam, et accipies beatam. Quid justius, quid ordinatius? Ubi es amator vitæ? Bonam elige. Si uxorem velles, non nisi bonam velles: amas vitam, et eligis malam? Dic mihi quid malum velis. Quidquid volueris, quidquid amaveris, bonum vis. Prorsus non vis jumentum malum, non servum malum, non vestem malam, non villam malam, non domum malam, non uxorem malam, non filios malos. Omnia bona quæris: esto bonus qui quæris. Quid te offendisti, ut inter omnia quæ vis bona, solus velis esse malus? Chara est tibi villa, uxor tua, vestis tua, et ut ad extremum veniamus, caliga tua, et viluit tibi anima tua? Certe vita ista laboribus plena est, ærumnis, tentationibus, miseriis, doloribus, timoribus plena est ista vita: certe manifestum est, quia his omnibus malis plena est. Et tamen sic quomodo omnibus malis plena est, si quis illam nobis daret æternam sic, talem qualis est, quantas gratias ageremus, ut semper miseri essemus? Non talem promittit, non quicumque homo, sed Deus verus. Vera veritas promittit vitam, non solum æternam, sed etiam beatam; ubi nulla molestia, nullus labor, nullus timor, nullus dolor. Ibi plena est tota certa securitas. Vita sub Deo, vita cum Deo, vita

¹ Psal. cxxxvi, 1. — ² Id. cxx, 4.

de Deo, vita ipse Deus. Talis nobis æterna promittitur: et huic temporalis, et ista, hoc est, misera et ærumnosa præponitur? Præponitur, inquam, annon? Præponitur, quando vis homicidium facere, ne moriaris. Times enim ne te occidat servus, et tu occidis servum. Times ne te occidat uxor, de qua forte falsum suspicaris; et tu dimissa uxore, adulterinas nuptias cum altera concupiscis. Ecce amando vitam, perdidisti vitam: æternæ vitæ temporalem, beatæ miseram prætulisti. Et quid invenisti? Forte cum servas vitam, nolens expiras. Quando hinc eas, ignoras. Qua fronte exis ad Christum? Qua fronte recusas supplicium? Non dico, qua fronte postulas præmium. Eris in æterna morte damnatus, qui eligis temporalem vitam, cujus electione contemnis sempiternam.

IX. Sed non audis consilium. Vitam quæris, dies bonos quæris. Bonum est quod quæris, sed non est hic. Habet iste lapis pretiosus regionem suam, non hic nascitur. Quantumlibet labores fodiendo, non hic invenies quod hic non est. Sed fac quod jubetur, et quod amas reddetur. Ecce enim quamlibet longa sit vita ista, numquid dies bonos invenies hic? Videte quid adjunxit: « Vitam et dies bonos: » Ne sit vita, et misera sit propter dies malos. Abundant hic dies mali: sed dies malos non ille sol facit, qui currit ab Oriente in Occidentem veniens, et altero die procedens: sed dies malos, fratres, nos facimus. Si bene viveremus omnes dies, et hic haberemus bonos dies. Etenim homini unde malum, nisi ab homine? Enumerate quanta extrinsecus homines patiantur. Quæ non videantur ab hominibus fieri, perpauca sunt. Abundant mala homini ab homine. Furta ab homine, adulterium passus est in uxore ab homine, seductus est ei servus ab homine, celatus est ab homine, proscriptus est ab homine, expugnatus ab homine, captivus

ductus est ab homine¹. « Libera me, Domine, ab homine » malo². » Jam tu quisquis audis, non cogitas nisi de inimico, quem pateris vicinum malum, potentem, consortem, civem. Forsitan de latrone ista cogitas, quando audis : « Libera me, Domine, ab homine malo ; » et sic oras, quando oras, ut liberet te Deus ab homine malo ; illo vel illo inimico tuo. Tu noli tibi esse malus. Audi me : liberet te Deus a te. Quando enim Deus gratia sua et misericordia de malo facit te bonum ; unde te facit bonum, unde te liberat, nisi a te ipso homine malo ? Omnino, fratres mei, hoc verum est, hoc certum est, hoc fixum est : si Deus te liberaverit a te ipso homine malo, nihil tibi nocebit ; quisquis fuerit alius homo malus.

X. Exemplum proponam unde agitur, de ipso apostolo Paulo, cujus celebramus passionis diem. Fuit persecutor, blasphemus, injuriosus. Homo erat malus ; poena sua ipse sibi erat. Porro autem cum anhelat caedes, et sitit sanguinem Christianorum, fusurus proprium, habens litteras a principibus sacerdotum, ut apud Damascum quoscumque inveniret christianae viae sectatores, vinctos adduceret puniendos, carpens viam crudelitatis, nesciens pietatis, audivit vocem desuper ipsius Domini nostri Jesu Christi de coelo dicentis : « Saule, Saule, quid me perse- » queris ? Durum est tibi adversus stimulum calcitrare³. » Ista voce percussus prostratus est persecutor, et erectus est praedicator : excaecatus est in carne, ut videret in corde : illuminatus in carne, ut praedicaret ex corde. Quid videtur, fratres ? Liberatus est Saulus ab homine malo : a quo, nisi a se ipso Saulo ? Propterea quoniam liberatus est ab homine malo se ipso, quid ei fecit alius

¹ Cod. Cass. vii, fol. 315. Rem magnam Psalmus optavit : « libera mea, » Domine, ab homine malo. » — ² Psal. cxxxix, 2. — ³ Act. ix, 4.

homo malus ? Apostoli Petri verba sunt : « Et quis vobis » nocebit, si boni amatores fueritis¹ ? » Persecutus est homo malus, lapidavit homo malus, virgis cecidit homo malus ; ad extremum tenuit, vinxit, traxit, occidit homo malus. Quanta ille addidit mala, tanta Deus praeparavit bona. Quidquid passus est, non fuit tormentum poenae, sed occasio coronae. Videte quid sit liberari ab homine malo, hoc est, a se ipso. « Quis, inquit, vobis nocebit, si » boni amatores fueritis ? »

XI. Sed ecce nocent homines mali. Tanta tibi fecerunt, o Paule. Respondet tibi Paulus : Opus esset ut liberatus essem ab homine malo, hoc est, a me ipso. Caeterum quid isti homines mali mihi faciunt ? « Non sunt condignae » passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae re- » velabitur in nobis². Etenim quod est leve tribulationis » nostrae supra incredibilem modum, aeternum gloriae » pondus operatur nobis, non respicientibus quae viden- » tur. Quae enim videntur³, temporalia sunt ; quae autem » non videntur, aeterna⁴. » Vere liberatus es ab homine malo, hoc est, a te ipso, ut caeteri tibi mali homines non obsessent, sed magis prodessent. Ergo, charissimi, festum sanctorum diem, qui adversus peccatum usque ad sanguinem certaverunt, et Domino suo donante atque juvante vicerunt, sic celebremus, ut amemus ; sic amemus, ut imitemur : ut imitati ad eorum praemia pervenire mereamur.

¹ 1 Petr. iii, 13. — ² Rom. viii, 18. — ³ Cod. Cass. vii, fol. 315. Non respicientibus, quae videntur, si dantur, sed quae non videntur. » Quae enim » videntur, » etc. — ⁴ Rom. viii, 18. — ⁵ 2 Cor. iv, 17, 18.

SERMO CCXCVIII¹.*In Natali apostolorum Petri et Pauli, IV.*

I. DEBUIMUS quidem tantorum Martyrum diem, hoc est, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, majore frequentia celebrare. Si enim celebramus frequentissime natalitia agnorum, quanto magis debemus arietum? De fidelibus enim, quos lucrati sunt Apostoli prædicatione sua, scriptum est: « Afferte Domino filios arietum². » Per angustias passionum, per viam spinis plenam, per tribulationes persecutionum, ut transeant postea fideles, Apostolos duces habuerunt. Beatus Petrus primus Apostolorum, beatus Paulus novissimus Apostolorum: qui rite coluerunt eum qui dixit: « Ego sum primus, et ego » sum novissimus³: » ad unum diem passionis sibi occurrerunt primus et novissimus. Petrus ordinator sancti Stephani fuit⁴. Quando ordinatus est diaconus Martyr Stephanus inter alios Apostolos eum ordinavit apostolus Petrus. Petrus illius ordinator, Paulus illius persecutor. Sed prima Pauli non quæramus, de novissimis novissimi gaudeamus. Nam si priora quærimus, nec ipsius Petri satis placebunt. Paulum diximus Stephani fuisse persecutorem, Petrum respiciamus Domini negatorem. Petrus negationem Domini lacrymis lavit: Paulus persecutionem Stephani cæcitate expiavit. Flevit Petrus ante fla-

¹ Alias de Diversis 41. — ² Psal. xxviii, 1. — ³ Apoc. i, 17. — ⁴ Act. vi, 6.

gellum, Paulus passus est et flagellum. Boni ambo, sancti, devotissimi: litteræ ipsorum quotidie populis recitantur. Et quibus populis? et quantis populis? Psalmum attendite: « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines » orbis terræ verba eorum¹. » Et nos probamus, et ad nos ista verba venerunt², et ad sanitatem fidei ab infidelitatis insania converterunt.

II. Hæc loquor, charissimi, lætus quidem hodierno die propter tantam festivitatem, sed aliquantulum tristis, quia non video tantum populum congregatum, quantus congregari debuit in Natali passionis Apostolorum. Si lateret nos, non nobis imputaretur: si autem neminem latet, quæ est ista tanta pigritia? Non amatis Petrum et Paulum? Ego in vobis illis loquor qui hic non sunt. Nam vobis ago gratias, quia vel vos venistis. Et potest animus cujusque Christiani non amare Petrum et Paulum? Si adhuc frigidus est, legat et amet: si adhuc non amat, sagittam verbi in cor accipiat. De ipsis enim Apostolis dictum est: « Sagittæ tuæ acutæ, potentissimæ. » Quibus sagittis factum est quod sequitur: « Populi sub te » cadent³. » Bona sunt talia vulnera. Vulnus amoris salubre est. Sponsa Christi cantat in Cantico canticorum: « Vulnerata charitate ego sum⁴. » Vulnus hoc quando sanatur? Quando satiabitur in bonis desiderium nostrum. Vulnus dicitur, quandiu desideramus, et nondum tenemus. Sic enim est amor, ut sic illic dolor. Cum pervenerimus, tunc transit dolor, non deficit amor.

III. Audistis verba in Epistola Pauli, quam scripsit ad discipulum suum beatum Timotheum: « Ego enim jam » immolor⁵. » Videbat imminentem passionem: videbat, sed non timebat. Quare non timebat? Quia jam dixerat:

¹ Psal. xviii, 5. — ² Cod. Cass. cix, et Afros de somno excitaverunt, et ad sanitatem, etc. — ³ Psal. xliv, 6. — ⁴ Cant. v, 8. — ⁵ 2 Tim. iv, 6.

« Concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo¹. » Ego enim, inquit, jam immolor. » Nemo cum tanta exultatione dicit se esse pransurum, et magnas epulas habiturum, cum quanta exultatione dicit se esse passurum, « Ego enim jam immolor². » Quid est : « Immolor ? » Sacrificium ero. Sacrificium cujus ? Dei : quia « Pretiosa » in conspectu Domini mors sanctorum ejus³. Ego, inquit, immolor. » Securus sum : habeo sursum sacerdotem, qui me offerat Deo. Ipsum habeo sacerdotem, qui pro me prior victima fuit. « Jam immolor, et tempus » meae resolutionis instat. » Resolutionem dicit a corpore. Est enim quoddam dulce vinculum corporis, et ligatus est homo, et solvi non vult. Ille tamen qui dicebat : « Concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo, » gratulabatur quod ista vincula essent aliquando solvenda. Solvenda vincula carnalium membrorum, accipienda indumenta et ornamenta aeternarum virtutum. Securus ponebat carnem, coronam accepturus. Felix mutatio, sancta migratio. Quam beata mansio, fides eam videt, nondum oculus : quia « Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec » in cor hominis ascendit, quae prae paravit Deus diligentibus se⁴. » Ubi sunt sancti isti, putamus ? Ibi ubi bene est. Quid quæris amplius ? Non nosti locum, sed cogita meritum. Ubi cumque sunt, cum Deo sunt. « Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos » tormentum⁵. » Sed ad locum sine tormento per tormenta transierunt : ad locum latitudinis per angustias pervenerunt. Non ergo timeat laboriosam viam, qui talem desiderat patriam. « Tempus, inquit, resolutionis meae » instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, » fidem servavi : de cætero superest mihi corona justitiae⁴. » Merito festinas, merito te immolandum esse lætaris : superest enim tibi corona justitiæ. Adhuc imminet amaritudo passionis, sed transit eam passuri cogitatio, et quid ultra sit cogitat, non qua itur, sed quo itur. Et quia cum magno amore cogitatur quo itur, cum magna fortitudine calcatur qua itur.

¹ Philip. 1, 23. — ² Beda ad 2 Tim. iv. — ³ Psal. cxv, 15. — ⁴ 1 Cor. 1, 9. — ⁵ Sap. 111, 1.

» titiæ⁴. » Merito festinas, merito te immolandum esse lætaris : superest enim tibi corona justitiæ. Adhuc imminet amaritudo passionis, sed transit eam passuri cogitatio, et quid ultra sit cogitat, non qua itur, sed quo itur. Et quia cum magno amore cogitatur quo itur, cum magna fortitudine calcatur qua itur.

IV. Cum autem dixisset : « Superest mihi corona justitiæ : » intulit : « Quam reddet mihi Dominus in illa » die justus Judex. » Reddet justus, ante non reddidit. Nam si, o Paule, primo Saule, quando persequebaris sanctos Christi, quando servabas vestimenta lapidatorum Stephani, exerceret circa te Dominus justum judicium, ubi esses ? Tanto scelere tuo quis locus in fundo gehennæ reperiretur ? Sed tunc tibi non reddidit, ut modo reddat. Verba enim tua de prioribus factis tuis legimus in Epistola tua, et per te novimus. Tu dixisti : « Ego enim sum novissimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus². » Quare ? « Quia persecutus sum Ecclesiam Dei³. » Si persecutus es Ecclesiam Dei, unde ergo Apostolus ? « Sed gratia Dei sum quod sum. » Ante gratia, modo debitum. Ante gratia donabatur, modo debitum redditur. « Gratia Dei sum, inquit, quod sum. » Ego nihil sum. Quidquid sum, gratia Dei sum. Quidquid sum ; sed modo Apostolus ; nam quod eram, ego eram : « Gratia Dei sum » quod sum : et gratia ejus in me vacua non fuit ; sed » plus omnibus illis laboravi. » Quid est, apostole Paule ? Quasi extulisti te, quasi de aliqua cervicula videtur dictum : « Plus omnibus illis laboravi. » Agnosce ergo. Agnosco, inquit : « Non ego autem, sed gratia Dei me-

¹ 2 Tim. iv, 6-8. — ² 2 Cor. xv, 9. — ³ Cod. Cass. cix, fol. 44. Non es dignus, et fecit. Non ergo quod tibi debebatur reddidit, qui dignum honore præstitit, cui supplicium debebatur. « Non sum dignus vocari apostolus. » Quare ?

» cum. » Non erat oblitus, sed unde gaudeamus in novissimo, servabat novissimus. « Non ego autem, sed gratia Dei mecum. »

V. Tunc non redditum est, modo quid? « Cursum consummavi, fidem servavi: de cætero superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex¹. » Bonum agonem certasti. Sed quis fecit ut vinceres? Lego tibi te, et tu dicis: « Gratias ago Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum². » Quid proderit certasse, si non prosit vicisse? Ergo habes quia certasti quidem, sed Christus dedit victoriam. Sequere aliud: « Cursum consummavi. » Et hoc quis in te? Nonne tu dixisti: « Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei? » Dic quod sequitur: « Fidem servavi. » Et hoc unde tibi? Audi verba tua. « Misericordiam, inquit, consecutus sum, ut fidelis essem³. » Ergo fidem servasti ex misericordia Dei, non ex fortitudine tua. « De cætero ergo superest tibi corona justitiæ, quam reddet tibi Dominus in illa die justus Judex. » Meritis enim reddet, ideo justus judex. Sed etiam hic non extollatur cervix tua, quia dona ipsius sunt merita tua. Quod illi dixi, ab illo didici, et vos mecum in ista schola utique didicistis. Superiore loco propter præconium præsidemus, sed in una schola communem Magistrum in cælis habemus.

¹ 2 Tim. iv, 7, 8. — ² 1 Cor. xv, 57. — ³ Id. vii, 25.

SERMO CCXCIX¹.

De Natali apostolorum Petri et Pauli, V.

I. PRÆDICANDIS prædicatoribus, et tantis prædicatoribus, de quibus audivimus et cantavimus, quod « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum², » procul dubio nulla nostra verba sufficiunt. Devotionem debemus, vestram expectationem non implemus. Expectatis enim a nobis hodie prædicari apostolos Petrum et Paulum, quorum solemnitas hic dies est. Agnosco quid expectetis; et ubi agnosco, succumbo. Video enim expectari quid, a quo. Sed quia Deus eorum laudari dignatur ab omnibus nobis, non dedignentur servi ejus utcumque prædicari ab eis qui serviunt vobis.

II. Sicut nostis, omnes qui Scripturas sanctas nostis, apostolus Petrus inter Discipulos, quos Dominus præsens in carne elegit, primus electus est: Paulus autem non inter illos, non cum illis; sed longe postea, non dispar illis. Petrus ergo primus Apostolorum, Paulus novissimus: Deus autem, cujus hi servi, cujus hi præcones, cujus hi prædicatores, primus et novissimus. Petrus in Apostolis primus, Paulus in Apostolis novissimus: Deus et primus et novissimus, ante quem nihil et post quem nihil. Deus

¹ In quo disputatur contra Pelagianorum heresim. — Ex vetere libro Corbeiensi nunc primum prodit. Excerpta ex hoc Sermone tria dedit Beda nondum vulgatus in Pauli Epistolas, unum prolixius cum Floro ad 2 Cor. v et alia breviora duo ad 2 Tim. iv, quæ præterit Florus. — ² Psal. cxviii, 5.